



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

6 De perseuerantia & constantia, vitiisque oppositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

DUBITATIO VI.

De perseverantia, & constantia,
vitiisque oppositis.

Diuus Thomas quest. 137. 138.

⁴⁵ *Perseuerantia dupliciter accipitur. Primò, Pro continuatione iustitiæ vsque ad mortem; & sic non est peculiaris virtus, sed conditio quædam, seu circumstantia virtutis, in eo consistens, quòd iustitia adhæreat homini vsque ad mortem. Hanc perseverantiam nemo habet completè & in actu secundo, nisi in termino vitæ: estque magnum illud donum proprium electorum, de quo D. Augustinus lib. de bono perseverantiæ.*

^{2.} *Propositi-um persequendi in opere.* Secundò, Pro proposito perseverandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit. hoc autem dupliciter fieri potest. Primò, Ex affectu peculiaris honestatis, quæ in illo opere spectari potest; vt cum quis vult perseverare in ieiunio Quadragesimæ vsque ad finem, vel vt carnem domet, vel vt pro peccatis satisfaciat, vel vt obediat Ecclesiæ, &c. aut in aliquo alio pio exercitio, bonaque consuetudine, ob peculiare bonum illius, hac ratione etiam non est vna aliqua virtus, sed omnis; nam omnis virtus ex affectu proprii boni potest velle operis sui continuationem & durationem vsque ad finem: omnis autem volitio, quæ ex affectu peculiaris boni alicuius virtutis oritur, ad illam virtutem pertinet: electio enim & intentio eiusdem sunt virtutis.

⁴⁶ *Quo modo sit virtus peculiaris.* Secundò, Præcisè ex affectu ipsius perseverantiæ & continuationis. nam vsque ad finem constitutum in bono opere perseverare & continuare, per se honestum est, peculiaremque laudem mereatur. hoc modo perseverantia est virtus peculiaris, de qua hoc loco D. Thomas. sicut enim magnanimitas est peculiaris virtus, quia in opere virtutis peculiarem rationem honesti intendit, & efficit, (nimirum vt magnum sit, & animo generoso congruens) & impedimentum ex honoris immodico affectu proveniens tollit: ita perseverantia, cum in opere virtutis intendat, & efficiat peculiarem rationem honesti, nimirum diuturnitatem & continuationem vsque in finem; vincatque tædium & molestiam, quæ ex diuturnitate obrepere solet, est virtus peculiaris.

⁴⁷ *Materia huius virtutis.* Huius igitur virtutis principalis materia est opus bonum cuiusvis virtutis. Forma, quam huic inferre intendit, est illius continuatio vsque in finem, quem ratio præscripsit, siue ille sit finis vitæ, siue certi negotij, vel temporis præfiniti. Continuationem voco, non qua opus numquam interpellatur (hæc enim homini ad longum tempus non est possibilis) sed qua suis temporibus repetatur; & non omittatur, dum statè vices recurrunt.

Secundaria autem materia est molestia animi, quæ ex illa diuturnitate rei laboriosæ & difficilis capitur; hanc enim moderatè fert & vincit hæc virtus: sicut patientia vincit molestias aliorum

malorum. Dixi materiam secundariam, quia præcipuum officium huius virtutis cervitur circa opera bona; vnde & nomen ab his contraxit, non à molestiis quas sustinet. secus in patientia, cuius cum præcipuum munus sit, mala aquanimiter ferre, ab illorum perpeffione etiam nomen sortitur. Quæ autem hic Martinus apud Caietanum contra diuum Thomam disputat, parvi sunt momenti, sicut & alia pleraque eiusdem Auctoris, cum D. Thomam oppugnat: est enim in illis vt plurimum vel mera logomachia, vel aliena intelligentia.

Constantia parum à perseverantia differre videtur, in eaque includi. quid enim est aliud perseverare, quam vsque in finem constantem esse, sibi que in bono constare: nisi forte quis ita velit distinguere, quòd constantia vincat difficultatem continuandi boni, quæ provenit ex naturali quadam animi mutabilitate, & impedimentis extrinsecis incidentibus: vt sunt blanditiæ, promissiones, displicendi timor, placendi cupiditas, &c. Perseverantia verò difficultatem, quæ ex diuturnitate rei molestæ & laboriosæ oritur. Sed hæc distinctio neque ab Auctoribus, neque vulgò servari solet; estque in re morali satis minuta: nam proprie ille etiam constans dicitur, qui in re ardua vsque ad finem perstat: & perseverans, qui ab externis impedimentis non vincitur. Distinguuntur tamen ratione & conceptibus: ratio enim constantia in eo sita est, quòd homo sibi in bono proposito constet, sibi que similis permaneat contra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit. Perseverantia verò in eo, quod in cœptis pergat, eaque vsque ad finem continuet.

His virtutibus duo extrema aduerfantur, *per-* ⁴⁹ *tinacia & mollities animi, vel inconstantia:* hæc per defectum, illa per excessum. Qui enim perseverat & firmus manet in proposito siue sentiendi, siue agendi vbi non oportet, vel plus quam oportet, *per-* ^{Per-} *tinacia* dicitur: Aristoteli 7. Ethic. ca. ^{Per-} *pitè* 9. *τοσπονδίατος*, quòd fortius æquo suæ sententia inhaereat; & *ισοσπονδίατος*, quia suæ sententia amantior: estque hoc veniale vel mortale, pro materia gravitate; vt cum quis non vult mutare fidem aut religionem falsam quam semel suscepit, ne videatur inconstans; cum Princeps non vult reuocare legem, quam vltus deprehendit perniciosam, &c.

Qui verò facilè mutat propositum, vocatur *In-* ⁴⁸ *constantia.* si id faciat tædio diuturnitatis, vel similibus incommodi, *mollis.* Est peccatum mortiferum, si tenebaris ex voto, vel præcepto, & materia sit gravis; vt cum quis deserit Institutum religiosum, &c. Si verò sit levis, veniale. si nullo modo tenebaris, non erit peccatum, mutare propositum, & relinquere primum exercitium: nisi forte id fiat ex inordinata aliqua passione; tunc enim inordinatè à bono proposito desistis; vt rectè Caietanus v. Inconstantia: de quo vide Gregorium Homilia 3. in Ezechielem, sub finem.

Hactenus de fortitudine.